Sit omnibus notum Quod ego ffrancesquina uxor honorabilis Bogonis de Pachs Civis Maioricarum quondam Gratis et ex certa sciencia Confiteor et in
veritate recognosco vobis Michaeli Ribes jurato et Clavario ac sindico ville et parrochie de Montuerio presenti quod pro redempcione luicione et
quitacione illarum octo lbr regalium maioricarum minutorum censualium restancium ex illis Sedecim lbr dicte monete censualibus quas dictus
quondam vir meus annuis singulis recipiebat super dicta parrochia de Montuerio die undecima mensis junii ut constat instrumento acto et firmato in posse discreti
Johannis Marrach notarii publici Maioricarum quondam sub dicta die undecima mensis junii anno a nativitate domini Millesimo Quadringentesimo Tricesimo Quarto de quibus Sedecim lbr jamque per dictam parrochiam de Montuerio redempte fuerint alie octo libre de quibus albaranum inde
fecistis Dedistis et soluistis michi tanquam possidenti dictas octo lbr titulo restitucionis dotis michi facte post mortem dicti quondam venerabilis viri mei
et ego a vobis dicto Michaele Ribes habui et recepi numerando voluntati mee in presencia notarii et testium infrascriptorum Centum libras
dicte monete que vigore gracie vobis seu dicte parrochie facte et concesse cum dicto instrumento redimi poterant et quitari Necnon habui et recepi totum censum
ipsarum octo lbr debitum usque in hunc presentem diem pro rata computando Unde Renuncians excepcioni dicte pecunie non numerate non habite et non
recepte modo predicto et doli mali per me et meos presentes et futuros facio vobis dicto Michaeli Ribes et dicte parrochie de predictis Centum lbr dicte
monete et de toto censu debito ipsarum occasione bonum finem absolucionem diffinicionem remissionem et pactum perpetuum validum et
solempne de ulterius non petendo sive de non agendo umquam contra vos et bona vestra premissorum occasione vel causa Absolvens quitans liberans et
diffiniens vos dictum Michaelem dicto nomine et dictam parrochiam et bona ipsius predicta racione ab annua solucione dacione et contribucione
dictarum octo lbr censualium et ab omnibus obligacionibus accionibus peticionibus et demandis quas contra vos et bona vestra habere movere habere
seu intemptare possem pretextu et occasione predictarum octo lbr censualium et census ipsarum occasione usque in hanc presentem diem debiti
imponendo michi et meis super predictis silencium sempiternum Sic quod promitto vobis et vestris quod dicte octo libre censuales non sunt vel fuerunt
per me date cesse vendite vel alias alicui seu aliquibus alienate vel translate ymo teneor ac teneri promitto inde vobis et vestris perpetuo de evictione
pro contractibus meis propriis et de omnibus dampnis missionibus interesse et expensis litis et extra litem eciam et ubique promittens vobis dicto
Michaeli nomine dicte parrochie has finem redempcionem liberacionem quitacionem et omnia et singula supradicta habere ratas gratas va
lidas atque firmas validaque eciam et firma et nullo tempore revocare contrafacere vel venire aliqua racione jure titulo sive causa Et pro
predictis omnibus et singulis sic attendendis servandis et complendis obligo vobis et vestris perpetuo omnia et singula bona mea mobilia et immo
bilia ac se moventia et alia quecumque ubique sint presencia et futura Volens et mandans ad solam hostensionem presentis instrumenti dictum
instrumentum onerandis dictarum Sedecim lbr cancellari et lacerari et in nota lineari ne in futurum dicta parrochia dampnum aliquod habere
possit Actum est hoc in Civitate Maioricarum die Jovis Quarta mensis aprilis anno a nativitate domini Millesimo Quadringentesimo Quin
quagesimo quarto Sig+num mei ffrancesquine predicte que hec laudo concedo et firmo.

Testes inde sunt honorabilis Michael de Pachs Civis ffranciscus avinyo et bartholomeus lobet scutiffer
dicti honorabilis Michaelis.



Sig+num mei Johannis Parmere auctoritate Regia notarii publici Maioricarum ac per totam terram et dominacionem
Serenissimo domino nostro Regi subiectam tenentis et possidentis ac auctoritate curie Regentis libros et
notulas discreti Johannis Fulconis quondam notarii qui predictum instrumentum per dictum Fulconem notarium
inventum in hanc publicam formam scribi feci et clausi die xxiii mensis decembris anno a nativitate
domini M.CCCC.LXXXII. Cum litteris suprapositis in linea x ubi scribitur usque.

1454

PERG.
21

2

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]